

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

Quae sunt res naturales?

urn:nbn:de:bsz:31-106565

dit, inaudum esse corpus finitum, quia impossibile est corpus infinitum moueri circulariter.

Hanc de principijs doctrinam ab Aristotele traditam, breuiter complexi sumus. Nec argutas disputationes, quæ hic agitantur, persecuti sumus. sed hæc inuita, quorum cognitio ad sequentia prodest, excerpsumus, ut ea, quæ inde extruuntur, facilius intelligi possint. Postquam enim in primo libro physicorum Aristoteles de materia corporum & forma dixit, postea in secundo discernit res naturales & artificiales, & cum de principijs rei naturalis dixit, postea de causis & de proprietatibus, motu, loco, & tempore differit.

DE RE NATVRALI.

Quæ sunt res naturales?

Physicus necessario discernit res naturales ab artificialibus. Querit enim causas non eorum, quæ uoluntate hominis & artibus efficiuntur, quorum ratio extruitur ex noticijs, quæ regunt uitam, aut gignunt artes, sed propagationis & propriorum motuum, quos habent corpora per sese ex sua substantia. Et aspicienti res, non difficile est iudicare, quæ sint naturales, quæ artificiales, ut Lapis naturalis scitur talis, & per sese fertur deorsum. Machina bombardica arte talis facta est, & ars inuenta est ad expellendum globum. Cum enim incendium effici-

facilissimè pellat, quia spaciū sibi querit, res cōiurā
 tā sunt, quæ & per sese uim pellendi habent, ui-
 delicet, Nitrum, & quarum flamma non suffocare-
 tur ut aliarum, quæ tenuiter concipiunt incendia.

Definit igitur Aristoteles res Naturales esse, quæ
 in ipsa substantia causam motus & quietis habent.
 Et sic uocat tum ipsas substantias, tum qualitates, &
 motus, quorum causa est substantia ipsa, non ars. Vt
 animal est res naturalis, non enim fit arte, & substan-
 tia ipsa causa est certorum motuum sine arte, ut rus-
 tritionis, augmentationis.

Temperamentum, seu *χρῆσις* est res naturalis.
 Nascitur enim cum forma substantiali animantis.

Lumen in oculis est res naturalis, non enim fit
 arte.

In Iosquino inclinatio ad Musicen est res natura-
 lis. Nam inclinatio illa non potest effici arte, neq; in
 Iosquino, neq; in alijs.

Ita memineris res naturales dici substantias, qua-
 litates, & motus, qui non extrinsecus assumuntur,
 sed cum ipsa substantia nascuntur. Hæc ita plana
 & puerilia sunt, ut non indigeant longa declaratio-
 ne. Constat enim nasci substantias, quæ & qualita-
 tes secum adferunt *infitas*, & uim ad certos motus
 efficiēdos. Sic enim condita est natura, ne sit ociosa.

ideo definitio naturæ apud Aristotelem hæc est. Naturæ
definitio
 Natura est causa motus et quietis eius in quo est prim
 cipaliter, & non per accidens.

Sed

Sed recens auditor, commemorata hac breui descriptione, quae uidetur nomen utcunque explicare, non intendere agitur ad rem aliquam monstrandam, quae ciet corpora, flagitabit explicationem magis perspicuam. Quid enim haec Aristotelica aliud dicit, quam naturam uocari aliquid in corpore, quo per sese, & principaliter cietur corpus, ut in igni aliquid est, quod per sese, & principaliter cum agitat sursum. Sed quae res illa est, sic agitans? Formae an qualitates eius corporis, calor & siccitas? Id Aristoteles non addit.

Naturae
definitio.

Sed Stoici, ut huic quaestioni occurrerent, tradiderunt aliam definitionem, cuius etsi sermo non congruit cum Aristotelico, tamen sententia dextre intellecta, multa monet. Verba haec sunt: Natura est ignis arte progrediens ad generationem.

Quam peregrinam adfers, inquiet aliquis, & alienam ab Aristotelica consuetudine definitionem? Ego uero eam recenseo, ut melius conspici possit, quam sit exigua & generalis descriptio Aristotelica: deinde addita concinna enarratione, non insuavis erit haec Stoica definitio.

Ait esse ignem, id est, caloris originem, seu fontem, quicumque ita nominari potest, seu ignis, seu uis aetherea. Ipsi ignem uocarunt, coelestem, & Elementarem, ac deinde cum à coelesti, tum ab Elementari senserunt oriri formas & animas, quas ipsas etiam ignem esse dixerunt. Hae uim, seu hunc fontem caloris, re-

vis, recte dicunt illud ipsum esse, quod impellit corpo-
ra ad actiones, & generationes. Calor enim est effi- Caloris
effectus,
cax, congregat cognata, & dissipat non cognata, ut
in hominis coctione calor excitat uentriculum, &
Epar, ut cognata attrahant, & dissipent non cog-
nata.

Sed cur inquit, arte progrediens ad generatio-
nem? quia significat à mente aliqua architectatrice
species omnes ita ordinatas esse, ut similia à simili-
bus procreentur. Denique ut in quolibet certus sit
modus generationis, aliter gignit homo, aliter plan-
ta, Et tamen in utroque calor est fons generationis,
sed hic fons simul gubernatur à causa uniuersali,
que sic ordinauit naturam, quasi arte, ut quelibet
species similia procreet.

Monstrant igitur Stoici rem aliquam, quam uolunt
uari naturam uolunt, scilicet, illum in corporibus ca-
lorem, sed certo modo ab æterna mente ordinatum,
qui modus quasi ars est cuiuslibet speciei.

Et si autem ad omnium ferè mixtorum generatio-
nes concinnè accommodari hæc Stoica definitio pos-
test, tamen non suscipiam eius patrocinium. Recen-
sui autem, ut collatio ostendat, quid in Aristotelica
desideretur, quæ est multo generalior, & ferè tan-
tùm nominis enarratio, ut si dicam: Solis orbis mo-
uetur natura ab occasu uersus ortum, quia in ipso
uis est interior sic ciens. At ab ortu in occasum mo-
uetur non natura, sed rapitur ab alio exiøre orbe.

Hic mens cupiens intus aspicere naturam, quærit
quæ res illa sit, quæ orbem Solis cieat, ut sponte ab
occafus uersus ortum feratur.

Zinziber. Ita dicimus: Zinziber natura humectat, id est,
non per aliud externum, sed mens auida cognoscens
de cause, quærit, quæ res sit illa, quæ Zinziber hu-
mectet, cum tamen ualde calefaciat, & sit actu sic-
cum.

Ex his collationibus utcunque intelligi potest,
quid auidus auditor in Aristotelica descriptione de-
sideret.

Medici planius loquuntur, quasi digito rem ip-
sam monstrantes, quam uolunt adpellatione nature
significari. Nam Galenus in tertio libro de Tempe-
ramentis ait, Naturam cum dico, substantiam totam
& temperamentum significo ex primis Elementis,
calido, frigido, sicco & humido conflatum. Verba
hæc sunt, φύσις δ' ἑστὶν ἐπιπύωσις τῶν ὀλίγων οὐσιῶν
καὶ κατὰ τὸ λέγω, τὴν ἐν τῶν πρώτων στοι-
χείων θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὕγρου.
Loquitur enim de mixtis; Cumq; hoc modo ad sub-
stantiam & temperamentum deducimur, quæ res
sit, quæ uocatur natura, magis intelligitur: ut cum
dicimus, Vinum natura alit, dicimus totam substan-
tiam & temperamentum, tale quiddam esse, ex quo
facultas Nutritiua sanguinem gignit nutrientem cor-
pus. Quò enim temperamentum uini melius est, eò
copiosior & purior sanguis gignitur.

Ab-

Abſinthium pellit rubram bilem, & iuuat Epatis ^{Abſin-}
 ſua natura, id eſt, quia ſubſtantia ac temperamen- ^{thium.}
 tum tale eſt, ut pugnet cum bile, & conueniat Epatis.
 Hic naturam uocas, tum ſubſtantiam, tum tempera-
 mentum, tum δὲ ὑπερμα, quæ eſt temperamenti effi-
 cacia, nec re ipſa diſcernitur à temperamento. Hæ
 medicorum locutiones uidentur plures, à quibus
 non diſcrepat, quòd Ariſtoteles tandem eò delabi-
 tur, ut naturam eſſe dicat formam ſubſtantialem.

Nec uolo prolixius perſequi hæc, de appellatione,
 aut definitione, diſputationes, in quibus multe ſunt
 atiorum λεγομεναι. Hoc ſatis ſit diſcenti, conſi-
 derare, neceſſarium eſſe diſcrimen naturalium &
 artificialium, quia neceſſe eſt phyſico conſiderare,
 quæ, quam uim, & quos motus ex ſua natura, &
 per ſeſe habeant, quæ cleantur externis cauſis. Ignis
 ſua ui ſurſum fertur, at Lapis ex machina aliunde
 ſurſum pellitur. Hoc puerile diſcrimen hic traditur,
 nec ferè quidquam amplius.

Omitto etiam hic rixas in quibus quærent, quid
 interſit inter naturam, & rem naturalem. Medico
 nihil intereſt, qui ſubſtantiam ipſam uocat natu-
 ram. Sed ſi naturam uocabis δὲ ὑπερμα, aut inclina-
 tionem in ſubſtantia, facilè eſt uidere diſcrimen. Di-
 ces enim rem naturalem ſubiectum eſſe, naturam ali-
 quid in ſubiecto ciens per ſe, ſeu δὲ ὑπερμα, ſeu incli-
 nationem.

Quæ ſunt res artificiales ?

LIBER II.

Res artificiales sunt, quæ non habent in substantia causam motus & quietis, ut in Statuis & Machinis. Non est causa in Lapide, cur ex eo fiat simulacrum Alexandri, nec causa est in rota Automati, cur motus eius congruat ad spacium horæ.

ARS. Est autem ars, recta ratio faciendorum operum, ut Statuarius certam habet noticiam dirigentem manus, sculpsentem imaginem in Statua, id est, partes Statuæ tantisper ordinantem, donec efficiatur similitudo eius archetypi, quem imitatur.

Hæc ars, seu humana industria, non procreat substantias, sed in substantijs quasdam dispositiones efficit, quæ aliàs adiuuant, aliàs perficiunt, aliàs imitantur.

Agricola adiuuat naturam, cum semina spargit in terram, perficit naturam, cum arat & rigat, ac solum efficit mollius, & magis idoneum ad fouenda semina.

Ars medica adiuuat naturam, ut cum pulmo iuuatur in tussi succo uiolarum. Perficit, ut cum perficitur coctio Zinzibere, & alijs medicamentis.

Item in pane faciendò ars perficit naturam, præparat enim triticum & coquit, ut uenterculus facilius accipiat.

**Cereuisie
coctio.**

Sæpe autem ars est imitatrix nature, ut Cereuisia rectè cocta est imitatrix uini, quia succus ex hordeo expressus, nutrit & tenuiter calefacit, sed Lupulus additur, tum augendi caloris causa, tum contra putrefactionem. S6